

cturam ascendit, mox ad pedestris militiæ dignitatem, Præfecturam scilicet cohortium quatuor civium Romanorum, demum ad universæ legionis Tribunatum. Id porro, secus atque nunc fit, in more olim fuisse, discimus ex Svetonio loc. sup. cit.

PRAEF. COHORTIVM CIVIVM ROMANOR. QVATVOR IN HISPAN. Præfectum cohortis dictum, qui cohorti legionariæ præerat, scripsit Panvin. Imp. Rom. cap. XVI. Postulatus ob id est a Grævio in Præfat. Tom. I. Theaur. Ant. Rom; qui nullos in legione Præfectos, sed tantum cohortium sociarium, & auxiliarium fuisse ostendit. Hinc patet quatuor has cohortes, quarum Præfectus fuit P. Cornelius, non cohortes legionarias fuisse, sed ex illis, quæ ab Imperatoribus institutæ, variis in locis collocatæ in præsidiis erant, de quibus idem Panvinus agit cap. XX. Imp. Rom. earum catalogum ex antiquis lapidibus a se exceptum recitans. Porro in his cohortibus, quando cives Romani militabant, cohorti titulum addebant *Civium Romanorum*. Inde Grut. pag. CCCLXXXIX. 2. PRAEFECTO COHORTIS SECUNDÆ CIVIVM ROMANORVM & pag. DLXXIV. 5. COHORS VIII. VOLUNTARIORVM CIVIVM ROMANORVM, & alibi.

TRIB. MIL. De Tribunis militum plura docte de more tradit J. Lipsius in lib. de Mil. Rom. Maximus honorum a P. Cornelio gestorum fuit: idcirco ultimo loco designatur. Cuique legioni sex præerant Tribuni, tantæque dignitatis erant, ut ab apparitoribus præcederentur, quos illis Alexander Severus sustulit. Lamprid. in ejus vitâ cap. LII. *Apparitores nullos passus est Tribunis, aut Ducibus, nisi milites, jussitque, ut ante Tribunal quatuor milites ambularent.* Quamobrem Horatius libertino patre natus, quum Tribunus militum fuisset, omnibus in invidiâ fuit, ut ipsemet Sat. VI. lib. I. testatur

*Nunc ad me redeo libertino patre natum,  
Quem rodunt omnes libertino patre natum  
Nunc, quia, Macenas, tibi sum convictor, at olim  
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.*

Unum tamen inter hos Tribunos discrimen intercessit, quod alii laticlavii essent, alii angusticlavii, alii simpliciter Tribuni; de Tribunis laticlaviis V. not. seq. Tribuni angusticlavii erant ex equite nati. Svetonii pater, ut ipse in Othone cap. X. testatur, fuit *tertiadecimæ legionis Tribunus angusticlavius.* Qui vero nec ex Senatore, nec ex Equite natus esset, pure Tribunus dicebatur, ut Horatius.

P

̄̄VI-